propter merita patris ad extrema vitae suae tempora condonamus. In cuius etc.

Similis mutatis mutandis

Sigismundus etc. Significamus etc.

Consensisse nos consentireque per praesentes Generoso Paulo Scerbics Decretorum nostrorum Notario ut possit et valeat de toto iure suo quodcunque illi ad Advocatiam in villa nostra Regnowo ad Capitaneatum nostrum Raven. spectan. ditam atque ad Scnar. in ea inscriptas ex libera cessione nobilis Alberti Mochlowskij non ita pridem eidem coram nobis facta competit in personam nobilis Pauli Scerbics filij sui coram quibuscunque actis authenticis et coram officio quocunque etiam civili condescendere. Quae cessio posteaquam sic uti praemissum est facta fuerit nos eam non secus ratam habituri sumus ac si praecedente consensu nostro coram nobis ipsis facta fuisset. Et insuper eundem nobilem Paulum Scerbics propter patris illius merita posteaquam cessio illi facta fuerit in possessione eiusdem Advocatiae cum omnibus eius attinentijs ad extrema usque vitae suae extrema conservamus. Promittentes verbo nostro Regio pro nobis et Serenissimis Successoribus nostris quod eundem Paulum Scerbics invitum eiusdem Advocatiae possessione cum omnibus eius attinen. non privabimus neque Serenissimi Successores nostri privabunt sed eum in pacifica eius possessione donec vixerit conservabimus et Serenissimi Successores nostri conservabunt. In cuius rei etc.

Mandatum ad cons: Lubl:

Sigismundus etc. Significamus etc.

Famatis Proconsuli consulib. Advocato et Scabinis civitatis nostrae Lublinen. fid. nobis dilectis gratiam nostram Regiam. Famati Fid. nobis dilecti. Tulimus decretum nostrum inter Honestam Dorotheam Grzebienicka et cuiusdam puellae Reginae tutores Honestos Mathiam Drachowskij et N. Cives Lublinen. necnon Gregorium Muratorem itaque in causa quae eisdem partibus coram Iudicio Fid. vestrarum occasione bonorum morte Honestae olim Hedwigis Dominikowa sororis germanae eiusdem Dorotheae intercedebat quae bona quidem mobilia praedictae puellae alijsque praeter Gregorium legata, fundos aream et bona immobilia actrici Dorotheae Grzebienicka et per cessionem litis per eam filio suo Joanni factae eidem Joanni adiudicavimus. Mandamus itaque Fid. vestris serio ut quamprimum ab eadem Dorothea vel eius filio praefato requisiti fuerint.

decretum nostrum praefatum sine ulla tergiversatione exequantur bonaque praedicta in possessionem eiusdem sine mora tradant neque ullam eidem iure vincenti de se conquerendi relinquant occasionem. Pro gratia nostra etc.

Mandatum Exequutoriale

Sigismundus etc.

Magnifico Georgio Farensbach Praesidi Vendensi etc. Sincere nobis dilecte. Gratiam nostram Regiam. Magnifice sincere nobis dilecte, obtinuit nuper pridem coram Iudicio nostro actionem Spectabilis ac Famatus Nicolaus Ekkius Proconsul Rigensis contra Generosum Bertrannum Holtschur ratione bonorum nostrorum ... nis nouis dictis eidem actori per nos concessa. In qua idem Ekkius exequutionem eiusdem decreti desiderat. Quare mandamus Sinceritati vestrae ut hoc idem decretum nostrum praefatum realiter exequatur eundemque actorem in bona ... intromittat atque eum in possessione eiusdem conseruet. Pro gratia etc.

Aliud ad ius supremum Maydeburgense castri Cracouiensis

Sigismundus etc.

Spectabilibus et Famatis Aduocato Prouinciali et Scabinis iuris supremi Maideburg. Castri nostri Crac. Fid. nobis dilectis gratiam nostram Regiam. Spectabiles ac Famati Fid. nobis dilecti. Intercedit causa Famato Jacobo Prachowski Consuli clepard. cum Famat. Laurentio et Nicolao Jodlowskie ratione euictionis certae, in qua causa aliqua partium decreto Fid. vestrarum se grauare putauerit. Volumus ut Fid. vestrae eam appellationem ad Commissarios sex ciuitatum secundum nos deuoluant eamque occlusam rotulo ad nos ut moris est remittant. Pro gratia nostra et officij sui debito.

Literae occlusae ad Palat. Walachiae

Zygmunt Trzeci z Bozej etc.

Wielmożny Panie sąsiedzie Vprzejmie nam mily. Vskarżał się przed nami przez syna swego Dawid Sereblowicz poddany nasz mieszczanin Lwowsky ktory tesz przeciym list nas do